



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R.P. Leonardi Lessii E Societate Iesv Theologi. In D.
Thomam De Beatitudine. De Actibus Humanis. De
Incarnatione Verbi. De Sacramentis Et Censuris.
Prælectiones Theologicae Posthumæ**

Lessius, Leonardus

Lovanii, 1645

Dvb. 1. Vtrum possint ibi mereri vel demereri.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72898](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72898)

et D. Bonaventura supra, dum poena Purgatorij dicitur grauior quauis poena huius vite, intelligendum est de grauiſſima poena Purgatorij, quæ maior eſt, quàm grauiſſima huius vite; ea autem eſt poena ignis; & de hac loquuntur Patres citati. Sunt tamen aliæ poenæ longè mitiores: Non enim videtur credibile, pro vno verbulo otioſo hominem ibi exurendum, ſicuti hęc exuruntur latrones. Deinde, ex probatis viſionibus habemus, quorundam poenam eſſe valde exiguam, vt vix quidquam pati videantur præter mœſtitiã quandam ob dilatione cœleſtis patriæ; vt patet ex viſione Dri-thelmi, apud Bedam lib. 5. cap. 13. qui in amœniſſimo loco multa millia animarum albatarum Deo canentium laudes vidit, ita vt putaret eſſe paradifum; quæ tamen animæ non erant perfectè expiata. Vnde & iſte locus ad purgatorium pertinebat, ſiue ſub terra, ſiue ſuper terram fuerit. Nam eſt locus, vbi ordinariè fit expiatio animarum, ſub terra ponamus; non tamen negamus etiam alibi purgari poſſe, præſertim eas, in quibus parum reſtat purgandum. Denique, quia valde probabile eſt, poenam ſenſim minui, vt tandem minima ſit. Colligitur ex vita S. Malachiæ, cui foror, vt ſcribit S. Bernardus cap. 4. vite eius, apparuit: primò, in veſte pullæ ad limen Eccleſiæ foris; ſecundò, in veſte ſubfulcâ, & intra limen Eccleſiæ, procul tamen ab altari; tertio, in veſte candida ad ipſum altare cum ceteris ſanctis. Similis etiam viſio eſt apud D. Gregorium 2. Dialog. c. 23. de duabus monialibus, quibus S. Benedictus minatus erat excommunicationem.

Anime ſub-
inde alibi,
quàm ſub
terra, pur-
gantur.

decennium, quia grauitas poenæ compenſat diurnitatem.

Sed probabilius eſt, aliquas ibi diutiſſimè, et- Verofimi-
iam per aliquot annorū centenarios, puniri. Nam lius quidã
Eccleſia celebrat Anniuerſaria defunctorū etiam eas patron-
per aliquot annorū centenarios. Cenſet ergo fieri tur per an-
poſſe, vt tam diu auxilio opus habeant. Idem etiã norum cen-
confirmatur ex foundationibus perpetuis Anniuer- turias,
ſariorum. Confirmari etiam poteſt ex Beda lib. 5.
cap. 13. vbi Angelus dixit S. Dirthelmo; animas eorum, qui in hæc vitã ſemper malè vixerunt, & tandem ſub finem conuertuntur, ſaluandas omnes in die iudicij, quauis aliquæ orationibus & eleē- moſynis viuentium, & præſertim altaris ſacrificio iuuari poſſint, vt ante illum diem liberentur.

CAPVT III.

De conditione animarum pur-
gandarum.

S Vppono nullam animã purgari poſt hanc vi- 25
tam, niſi in charitate deceſſerit, obſtricta tamen culpã aliquã veniali, vel ſaltem reatu poenæ. Affidue
Vide B. Auguſtinum lib. 21. de Ciuit. cap. 26. Deum lau-
dauit.

Hinc ſequitur, animas illas affiduè amare & lau- dare Deum, patienterque ferre ſupplicia. Colligitur Apocal. 5. ſub finem. Ratio eſt, quia virtutes in anima ſeparata non poſſunt eſſe otioſæ, cum nihil habeant impediendi, & ſuapte naturã in ſuas functiones propendeant, neque etiam corpore ag- graentur, neque tormentis impediuntur: hæc enim non impediunt, niſi turbando organa corporea, quæ ibi non ſunt. Vnde etiam in inferno perfectæ ratione vtuntur, vt colligitur Lucæ. 6.

DVBIVM III.

Vtrum anima in Purgatorio à demonibus tor-
queatur?

23
Solum ab
igne tor-
quentur.

COMMUNIOR ſententia eſt, neque ab Angelis, neque à demonibus torqueri; ſed ſolum ab igne, vt eſt inſtrumentum diuinę Iuſtitie.

Probabile
eſt interdū
etiam à de-
monibus
torqueri.

Eſt tamen ſatis probabile, interdum à demonibus torqueri, quia non perfectè illos vicerunt, ſed ex parte ab illis victę ſunt, conſentientes peccatis venialibus vel mortiferis, pro quibus poenę temporales reſtant luendę. Confirmatur ex viſione B. Furſei apud Bedam lib. 3. hiſt. Angl. cap. 19. & ex vita D. Bern. lib. 1. cap. 10. vbi quidam frater defunctus B. Bernardo apparuit, qui ſe quatuor lacertis traditum eſſe dixit, qui poſteã precibus S. Bernardi liberatus eſt.

DVBIVM IV.

Quam diu durent poena Purgatorij?

24
Poena pur-
gatorij non
durat ultra
diem iudi-
cij.

REſpondeo: Certum eſſe, non durare ultra diem extremi iudicij, vt docet S. Aug. l. 21. de Ciuit. c. 16. Purgatorias, inquit, poenas nullas futuras opinetur, niſi ante vltimum illud tremendumque iudicium. Et colligitur aperte Matth. 25. vbi tantum duo ſtatuuntur ordines iudicandorum, quorum illi ibunt in vitam æternam, illi in ignem æternum: ergo nulli in ignem temporale; omnes enim fideles ad alterutrum iſtorum ordinum pertinent.

Vtrum autem vna eademq; anima per aliquot annorum centenarias, vſque ad diem iudicij ſit puni-
enda, non eſt ita certum. Dominicus Soto d. 19. ad 10. annos
q. 3. a. 2. putat nullam manere in purgatorio ultra

Vtrum poſſint ibi mereri, vel
demereri?

DVBIVM I.

REſpondeo: Neutrum poſſe. Eſt contra Lu-
therum art. 39. vbi docuit eas continuo de-
mereri, eò quòd poenas reſugiant: poſſe tamen &
debere mereri, vt habet art. 38. eò quòd charitas
ipſarū ſit imperfecta. Sed probatur noſtra doctri-
na, 2. ad Corinth. 5. verſ. 10. Omnes nos manife-
ſtari oportet ante tribunal Chriſti, vt reſer. at vnusquis-
que propria corporis pro vt geſit, ſiue bonum ſiue malū.
Cur addit, Propria corporis, niſi quia ea, quæ poſt
corpus ſunt, non puniuntur aut remunerantur?
Sap. 4. v. 11. Raptus eſt, ne malitia mutaret intellectū
eius: ergo poſt mortem non poteſt quis mutari.
Idem ſignificatur Eccleſiaſtæ 11. v. 3. In quocun-
que loco ceciderit, ibi erit. Vide Eccleſiaſtæ 9. & Eccle-
ſiaſtæ 14. Hinc D. Auguſtinus lib. de Prædeſt.
Sanctorum cap. 14. ait; Neminem Chriſtianum hæc
de re dubitare poſſe. Ratio eſt, Diuina ordinatio, quæ
hunc mundum voluit hominibus eſſe ceu ſtadium
ac paleſtrã; actiones huius vite, curſum in ſtadio;
mortem, terminum curſus, quando præmia, id eſt,
honor vel ignominia curſoribus eſt tribuenda.
Opera autem bona vel mala, quæ poſt hanc vitã
ſunt, non pertinent ad curſum: vnde nec impu-
tantur ad meritum vel demeritum, ac proinde nõ
augent præmiũ vel ſupplicium; ſed ſunt fructus
animæ in termino conſtitutæ.

26
Nec merē-
tur, nec de-
merentur.

Dices

27
Quatuor
obiec-
tiones

Dices Primò : Anima in Purgatorio non vident Deum, nec amant necessariò : ergo possunt peccare. Patet consequentia, quia hæc est ratio, cur Beati non possint peccare.

Secundò, Illæ animæ fugiunt pœnas, quas tamen Deus vult illas pati : ergo peccant.

Tertiò, Adhuc sunt in via, cum nondum comprehenderit : ergo possunt mereri & demereri.

Quartò, D. Augustinus dubitat, an adhuc afficiantur rebus terrenis inordinatè. Vide illum libro 21. de Ciuit. cap. 26.

Soluuntur.

Respondeo ad Primum : Etsi illæ animæ non videant Deum, nec etiam amant necessariò quoad exercitium actus, ac proinde nec ab intrinseco sint impeccabiles, sicut Beati; ab intrinseco tamen habent, quòd peccare nequeant, nempe à diuinâ protectione : *Infortum enim anime in manu Dei sunt, & non tanget eos tormentum mortis*: Sap. 3. quòd fit, vt nullos etiam motus prauos sentiant.

Ad Secundum : Abhorrent à pœnis quatenus sunt contrariæ naturæ, sicut & Dominus abhorruit; quæ fuga non est peccatum, sed naturalis & innoxius motus. Amant tamen quodam modo suas pœnas, quatenus à diuinâ iustitiâ infliguntur; quia amant diuinam iustitiam, seseque resignant ad patiendum id, quòd Deus vult eas pati.

Ad Tertium : Non sunt amplius in via, si statum merendi spectes; sed sunt in termino, etsi nondum præmium acceperint : sicut transacto tempore certaminis non potest aliquid cursu, vel luctâ obtineri, quamuis præmia nondum sint distributa.

Ad Quartum : Certum est, in illis nullos amplius esse inordinatos affectus & motus erga res humanas : nam clarè vident istarum rerum vanitatem & noxam. Quòd probatur, quia alioquin essent in illis verè tentationes & incitamenta peccandi, quæ D. Augustinus negat in illis esse post hanc vitam : patet c. 14. de Prædestinatione Sanctorum. Possunt tamen secum deferre aliquas prauas affectiones habituales, sed illæ mox per contrarios motus corriguntur, vt alibi dictum.

DVBIVM II.

Vtrum anime iste sint certa de sua salute?

28
Quidam
negant.

LVtherus artic. 38. vult quasdam saltem esse incertas. Idem etiâ tenuerunt quidâ Catholici, eò quòd existimarent, omne peccatum ex natura sua esse mortiferum, & mereri mortem æternam, solumque esse veniale ex misericordia Dei.

Vetior sententia affirmat.

Sed omnino tenendum est, esse certas de salute sua. Probatum Primò : Quia contraria sententia est damnata, primùm quidem à Leone X. in Lutero, deinde à Pio V. & Gregorio XIII.

Secundò : Quia Concilium Florentinum definit, eas animas quæ habent culpam letalem, statim damnari : atqui illæ animæ quæ sunt in Purgatorio, vident se non esse damnatas : ergo agnoscunt se non habere culpam letalem : præterea certò norunt ex fide, eum qui non habet culpam letalem vel originalem, post hanc vitam non posse damnari : ergo certæ sunt, quòd non possint damnari. Quòd autem videant se non esse damnatas, Probatum : quia vident se non blasphemare Deum, quòd est damnatorum, sed amare & laudare illum, ac patienter ferre supplicia.

Tertiò : Quia in Canone Ecclesia dicit, eas dormire in somno pacis, & quiescere in Christo, vbi per somnum & quietem significatur illa securitas & solatium, quòd habent ex certitudine suæ salutis. Quòd si essent incertæ, essent inquietissima, summeque anxia.

Quartò : Quia sciunt qualia sint opera quæ fecerunt, bona an mala, venialia an mortifera : ergo sciunt se non posse damnari. Antecedens patet Ecclesiastici 11. vers. 29. *In fine hominis denudatio operum ipsius*; id est, cuius in fine denudantur opera sua; quòd etiam est necessarium, vt intelligant, quàm iusta sit retributio. Denique, quia certum est, eas statim post mortem iudicari.

Dices : Si animæ illæ sint certæ de sua salute, cur orat Ecclesia, vt Deus liberet eas de pœnis inferni, de profundo lacu, & ne absorbeat eas tartarus, nec cadant in obscurum?

Respondeo : Ecclesia solùm intendit his verbis orare, vt à pœnis Purgatorij liberentur. Vtatur autem tali modo loquendi, quasi animæ illæ essent in periculo damnationis; tum ad excitandum maiorem affectum in fidelibus ad orandum pro illis; tum etiam, quia representat diem obitus. Sicuti in Aduentu Ecclesia sic orat, ac si Christus iam deberet nasci, *Rorate cali desuper, & nubes pluat iustitiam*. Quòd etiam facit in alijs Festis : representat enim illa mysteria, vt præsentia vel instantia, ad affectum excitandum. Tamen non intendit aliud, quàm vt fructus natiuitatis, passionis, & aliorum mysteriorum nobis applicetur. Pari modo hic non intendit aliud, quàm vt animæ liberentur à pœnis, eo modo, quo liberari possunt; nempe vt non detineantur, vel certè vt mitius cum illis agatur.

Quid velit Ecclesia certo modo orans pro defunctis.

DVBIVM III.

Quando, & quomodo anima iudicentur?

Respondeo & Dico Primò : Iudicantur in primo instanti, quo sunt separatæ à corpore, vel certè post primum instans mortis, si tale instans detur.

29
Iudicantur in primo instanti quæ separatæ sunt à corpore.

Probatum Primò : Quia nulla est ratio, cur hoc iudicium differatur. Neque enim credibile est, animas in cælum ante Christi conspectum deduci, vt ibi iudicentur (alioquin enim postea deberent redire è cælo ad supplicia.) Præterea, hoc iudicium fit in instanti; nam nihil est aliud, quàm locutio quædam spiritalis, quâ Deus, vel Christus ipse vt homo, manifestat animæ spiritaliter suam sententiam; quæ manifestatio fit per spiritalem locutionem, quam nulla locorum intercapedo potest impedire.

Probatum Secundò : Ecclesiastici 11. vers. 28. *Facile est coram Deo in die obitus retribuere unicuique vias suas*. Hic significatur, in ipso momento obitus (id enim significat, *in die obitus*,) animas iudicari, ipsque præmia vel supplicia à Deo iudice decerni. Illud enim, *Facile*, non significat, *Deum facile posse*, si velit, sed *absolutè tribuere*: si enim non tribueret de facto, non rectè Sapiens hoc argumento hortaretur homines ad benefaciendum.

Dices : Interdum animæ videntur iudicari ante mortem, Colligitur ex Gregorio Dialog. lib. 4.

D d d d ij cap. 38.